

§. 9. *Ratio sufficiens existentis animæ non est in nihilo.* De nihilo enim, nisi nihil cogitari potest. Et si nihil esset ratio existentis animæ sufficiens, nihil esset & non esset. *Esset*, quia esset causa productiva alicujus rei. *Non esset*, quia nihil est. Ergo ex nihilo nihil fieri potest: *per se* scilicet, & materialiter, ne quidem per omnipotentiam divinam, quæ ad contradictoria se non extendit.

§. 10. *Ratio sufficiens rei est in re §. 9.* Res illa præexistere debet, quia in ens possibile five essentiam actuandam influere debet. Illa res, in qua deprehenditur ratio sufficiens animæ possibilis in actum deducendæ, est *causa animæ.*

§. 11. *Quicquid oritur vel præexistit, vel non præexistit.* Si præexistit, vel ex toto vel ex parte præexistere debet. Anima si oritur, vel præexistit, vel non præexistit: si præexistit, vel ex toto vel ex parte præexistit.

§. 12. *Quicquid ita oritur, ut nihil sui præexistiterit, creari dicitur.* Quicquid vero ita oritur, ut pars sui vel totum præexistiterit, illud *produci vel mediate creari dicitur.* Anima ergo *vel immediate vel mediate creatur §. 11.*

§. 13. *Ortus animæ ergo §. 8. vel est immediatus vel mediatus.* Si *mediatus* esset, ex aliquo præexistente esse suum caperet. §. 12. Illud præexistens vel esset *sui* vel *alterius* pars. Non esset pars *sui*, quia in ente simplici nihil est præter *substantiale & determinationes.* *Substantia non*

non